

70

76

EYΦHMIA
IN NUPTIAS
Venerandi, pii & Docti

Viri, Domini GEORGII REBHUNII Ecclesiae
Quercetanae Pastoris, Avi & Patris in eadem
successoris: Et Pudicissimae Virginis

MARIAE SALOMÆ
FEYGIÆ:

Scripta ab

AVRELIO STREITBERGERO,
SS. Theol: D. Ecclesiaste & Superattendente
Curiensium, Amico hæreditario,

X. Cal: Xbris, Anno

V. S.

cl. 16 CVI.



CURIAE VARISCORUM:

Typis Matthæi Pfeilschmidii.



PSAL: 128. v. 4.

ECce beatus homo: sic, sic benedicatur ille,
Quem timor & pietas religiosa tenet.

F. W. D.



*Inceritas & Veritas
Et lesa nunquam Castitas,
Vtrinque amor semper virens
Candorq; simplex cum Fide
Coniunctus, optimum bonum in
Vitâ duorum Coniugum.*

*Talis Deo est casto sacer
Torus placetq; omni modo:
Talem is probat, mandat, fovet
Beatq; maximis bonis.*

*Qua sorte cunq; conjuges
Utantur, omni tempore
Pis adest, solatur &
Adversa mutat prosperis.*

*Hic cara cernis pignora,
Dei potentis munera,
Fructus jugalis lectuli,
Virentis instar arboris
Gnatæ Jovis magni Sacræ*

Vitisq;

16
Vitisq; opacis pampinis
Luxuriantis & gravis
Botri gementis pondere.
Illic vides longo ordine
Turmam Nepotum floridam,
Pax, Veritas, Concordia
DEI vigent Ecclesiâ,
Cujus maritus uxor &
Piisq; gaudent posteris
Membra esse vera & vivida:
Est omnium largissimâ
Cornu repletum copiâ,
Ac nil, nisi immortalitas
Et gaudii perennitas
Negatur, in solâ domo
Nobis paratâ calicâ.
Ejusmodi connubium,
Faustum tibi, Sponse optime,
Carâ tuâ cum compare,
Contingat, oro Filium
Summi parentis unicum,
Qui sanxit ipse conjugum
Fœdus duorum arctissimum
In horto amœno primitus,

A ij

Et

Et esse certam imaginem,
Amoris ardentissimi
Decrevit ergà Ecclesiam
Suo redentam sanguine.

O Christe noster inclyte
Sponse & salutis unice
Nostræ arbiter, veni citò
Totus coruscus fulgidâ
Cingente luce, te choro
Sancto Angelorum, Principem
Suum, coronâ splendidâ:
Tuamq; Sponsam libera
Pressam undiq; omnibus malis,
Mox illa nostris auribus
Mellita vox ut personet:
Venito sponsa, cor meum
Mea & columba, gaudia
Mecum teneto Patrii
Regni ævi-ternis seculis:
Ut cum beatis omnibus
Te, Patrem & alnum Spiritum
Letividentes nomini
Tuo canamus inclyto
Grates, honorem, gloriam,

Hymnos,

Hymnos, decus, laudes, melos
Non finiendo termino, AMEN.

PSALM: III2. V. 2.

Justorum soboles sic benedicta
DEO est.



PRO FELICI AUSPI-

CIO NUPTIARUM SORORIS SUÆ

dilectissimæ MARIÆ SALOMES

FEYGIN, ἑπευφημῆς Cizæ.

CHRISTOPHORUS FEYGIUS

I.

Parenti suo omni pietate honorando

ABELI FEYGIO.

HAud sine mente, pater, divo haud sine Numine
sunt sacra jura tori. (DIVUM

Nam DEUS, ut primò fabricaverat æquora, terram,
tectaq; pulcra poli,

Condit adhuc animal reliquo præstantius omni:
(quod vocitatur homo)

Huic castam sociat sociam, quæ par in honore,
inq; dolore viro.

Sic primùm sanxit rutili rex magnus Olympi
jura tenenda tori,

A iij

Sanxit;

Sanxit; & ipsa fovens ornat, complectitur, auget
prole, favore, bonis.
Hinc mutat Canæ lymphas in dulce Falernum,
CHRISTUS imago PATRIS:
Tumq; fide stabili, præstanti munere donat,
quos sociasset Hymen.
Sic iterum tædas, sponfos sponfasq; pudicas
comprobat ipse DEUS.
Uno si liceat totum comprêndere verbo:
RES BONA CONJUGIUM,
CONJUGIUM BONA RES: casti socialia lecti
fædera quemq; juvant.
Haud malus est: fælix sed terq; quaterq;, fidelis,
integer atq; pius.
At tali multò præstantior est, (mihi vitâ
chare magis genitor.)
Quem DEUS æternus numerosa prole parentem
fecit, eâq; beat.
Nomine quo rectè, pater ô charissime, tecum
gaudia sumo nova.
Ædes cernis enim, clementis Numine JHOVÆ
prole vigere tuas:
Docto jamq; placet natam, quæ maxima natu
jungere ritè viro:
Junxti connubio stabili, propriamq; dicasti;
mox Hymenæus erit,

Gratulor

Gratulor ergo pium lætus generum tibi: Cernas
sæpius utq; precor.

Natorum natos. O sancta TRIAS tibi sint, hæc
vota parata, rata,

I I.

NOVIS CONJUGIBVS.

AUCEPS insidias avibus molitur avarus,
Gaudet & innumeris quòd scit obesse modis.

VENATOR Jove sub gelido, si in retia rumpit,
Gaudet, aper sævus, cerva agitata, lupus.

PASTOR, in hybernæ glaciali tempore brumæ,
Gaudet, posse sui claudere septa gregis.

Curvus ARATOR, humo mandans sua semina putri,
Gaudet, nunc fessos dissoluisse boves.

Rusticus, acer EQUES, labor ut cessavit equorum,
Caudet, quòd frenis fingere possit equos.

TU verò AFFINIS, TU nunc *letare* magis, quàm

AUCEPS, VENATOR, PASTOR, ARATOR, EQUES,
Nam venit, ecce venit, tota quam mente petisti,
Intrat & in thalamum, Nympha pudica, tuum.

Idcirco vobis NE ONYMPHIS grator; ab imo

Fundens ardentes pectore & ore preces,
Ut vos unanimes summus conjungat JöVA,
Vivatis Saræ, Nestoris atq; dies.

Provida



*Provida ceu perdix hyemis memor undiq; victum
Quærit, & in tectum grana reportat ovans:
Sic tibi ficulnum, PERDIX doctissima, granum
Dat DEUS, in lectum hoc pone repone tuum.*

Proderit en (mirum) tibi quid tua amara MARIA?

Hæc etenim signat nil nisi amariciem.

Quid? quod in officio satis antè molestia præstò

Sit, nec non Satanas scommata mille paret:

Est, verum ut fateor, sacra lotio nomina SPONSÆ

Bina dedit, REQUIEM casta SALOMA parit.

Ergo tuam SPONSAM foveas, venerande GEORGI,

Quam penes est probitas, mens bona, forma, fides.

Nec metuas quicquam: licet ipsi nomen acerbum

Sit, pro felle Tibi mel dabit ipse DEUS.

Nam vincit probitas, casta reverentia fama,

Exuperat pietas, vincit amara pudor.

Hic est thesaurus, fulvo præstantior auro,

Cum latet in casto pectore verus amor:

Hic opibus præstat Cræssi; Cræsiq; potentis:

Vincit Chrysolithos: vincit & ipse Tagum,

Talis nunc, O SPONSE, decus laudabile Phæbi,

Ingreditur casti limina casta thori.

Pauca precor: stellas cælum quot continet altum,

Tot sine lite dies, tot sine labe dies

Labantur vobis: ò enthea corcula, vos vos

In lecto & tecto Gratia Trina beet.

Thomas Jampertus.

FINIS.

abioy

aut emissa voce magna ex
piravit **ps. nr.** Et uidi ce
ph lassu e' in duo. alio me uita
deorsu. Vides aut e' in quo
exadulo stabat. ga sic clamor
expirasti ait. Ver. hic homo
di filius erat. Erat aut e' in
heres de lege aliter. Me
qs erat in. Me. Me. Me.
et maria. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
Et cu' e' in. Me. Me. Me. Me.
eu. et misit. Me. Me. Me. Me.
miser q' h'nt. Me. Me. Me. Me.
u' h'nt. **ex.** **E** Me. Me. Me. Me.
sero e' h'nt. Me. Me. Me. Me.
erat qd e' h'nt. Me. Me. Me. Me.
yoseph. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
decurio. Me. Me. Me. Me.
me adp' h'nt. Me. Me. Me. Me.